+

Internunciorum Gedanen ad singula Capita postulator. Anglicanorum informatio Dominis Commissariis Elbingæ exhibita.

I

Portus Prussiæ patent omnibus, modo negociationes fiant more consueto, et iuribus ac libertatibus Terrarum et ciuitatum saluis. Nam hoc ius cum exteris commercandi antiquissima consuetudine solis ciuibus et incolis competit, exteris autem liberã cum exteris negociationem concedi cum ciuium et incolarum certissimo dispendio et exitio coniunctum est.

II.

Hic articulus vniuersæ Prussiæ derogat, præsertim maritimis tam in Regali quam in Ducali Prussia ciuitatibus, est contra pacta perpetua et omnes patriæ leges et receptas longissimas consuetudines quæ et DD. Decessores Poloniæ Reges omnes et ipsa S. R. M.ma moderna Regia M.tas sacrosancto iureiurando confirmauit. Non igitur quod omnibus commune hactenus fuit, vni Elbingensi ciuitati concedi potest.

Dicitur præterea, quod Anglis liberum esse debeat res et merces in tabernis et granariis recondetas in quibusuis locis diuendere. Ergo illi soli commercabuntur, reliqui cum suo exitio cessabunt.

III.

Si modo hac in parte cæterarum ciuitatum libertatibus nõ præiudicetur, nõ præscribimus Elbingensibus, quid aliis concedere vel deferre velint.

IV

Nihil ad nos pertinet, quia non de religionis exercitio sed de commerciis agitur.

V.

Pertinet ad Reg. M.tatis authoritatem, et nunquam simile quid in Poloniæ Regno fuit auditum. Demonstrat etiam, quod iure monopolari Elbingæ viuere Angli constitutum habeant, quæ etiam et qualis futura sit illa forma iurisiurandi qua ex diplomate Reginæ Angliæ suos obstringere volunt, facile M.tas Regia, vt prudentissimus Princeps intelligit: nulla enim ratione magis quam iisdem commerciorum restringere possunt.

VI.

An expediat, quod exteri in locis alterius iurisdictioni subiectis sibiipsis ius dicere possint, M.tas Regia pro sua prudentia clementiss.e considerabit.

VII.

Hic articulus fermè præcæteris Anglorum studium detegit, et quam perniciosa hæc ipsorum monopolia et vniuerso Regno et terris Prussiæ futura sint satis demonstrat. Statuta enim et leges ex suo commodo pro consideratione temporum exteris figere ac refigere nunquam in hoc regno auditum multo minus licitum fuit. Considerabunt quidem Angli tempora, at non ex aliorum sed sua vtilitate, et statuta talia condent, quæ ipsis permultum seruient, omnibus verò Regni incolis, incommodabunt plurimũ: testantur hoc leges, quæ iam conditæ sunt et vsu seruantur.

VIII.

Pertinet itidem articulus hic ad ius monopolii stabiliendum, et conuenticula

contra leges et Reipub[licae] authoritatem inducenda

IX.

Hic itidem articulus ad Regimen et Magistratus auctoritatem pertinet, quae non facile exteris concedi solet.

X.

Hic iterum Angli magistratum sibi subijcere student, et maioris Angli alicuius alios defraudantis existimationem quam miserorum subditorum fortunas faciunt aestimantque.

XI.

Nisi et in hoc articulo anguis lateret, non tot verbis in re plana et manifesta laborarent.

XII.

Eiusdem generis hic est de producendis testibus articulus, nisi quod compertum sit Anglos, dum ab aliquo subdito ad dicendum testimonium producuntur, ordinarii iudicis iurisdictionem recusare, et ad praefectum suum provocare.

XIII.

Quod per se omnib[us] tribui aequitatis ratio postulat, id vel non paciscendum erat vel mysterio non caret.

XIIII.

Pari aequitate nititur hic articulus, nisi Angli ista generali exercitionem illam sibi tribuere vellent, quod admittere et grave et periculosum esset.

XV.

Vendicatio et condictio rei furtivae, ut iure communi omnibus aliis, sic et Anglis libera est: non subest igitur ratio, cur specialem sibi caveri velint.

XVI.

Spectat hic articulus ad imperium quod Angli desiderant stabiliendum: sine causae enim cognitione et relatione aliquem ex alterius arbitrio incarcerare servitutis aliquid habet et occasionem praebebit, ut magis magisque legibus suis iniquis commercia constringat, et quovis ad eas servandas obligant.

XVII.

Libera sunt illa Elbingensibus, modo fiant absque caeterorum, quorum interest praeiudicio.

XVIII. XIX.

Hic omnes Civitatis leges non publico Civium usui sed privato metiuntur Angli et quia hae res ipsorum Elbingensium iura, plebiscita et libertates concernunt, liberum est ipsis de iure suo concedere quid velint, saltem communibus libertatib[us] suo facto non derogent.

XX.

Libere si exteri cum exteris commercari poterunt, qua ratione civitates tam amplae conservabuntur vel civium facultates augeri poterunt. Hac enim unica ratione civitates ad splendorem perveniunt, ut tanto commodius Reipub[licae] necessitatibus quovis tempore subvenire possint. Quod certe minimum futurum est, si divitiis in exteros translatis illi ad extremam redigantur inopiam. Quae vero temeritatis forbmas hominibus Anglos concedere videmus, ea in speciem fiunt et ut aliquo praetextu perniciosum hoc studium tegant.

XXI.

Verè in hoc articulo testantur Angli quod omnem emergendi occasionem subditis praecipere volunt, non enim merces emptas exportare, quod caeteri consueverunt, sed cuivis pro arbitrio vendere expetunt, Illi igitur Belgis, Gallis, Hispanis, Danis, Suecis merces suppeditare, et omnem negociationis utilitatem in se transferre poterunt.

XXII.

Et in hoc articulo sibi id Angli tribui postulant, quod civibus maxime debetur, minutatim enim res distrahere propriè ad cives pertinet, qui ex ea se victum quaeritat. Et ut fucum hominibus faciant, promittunt quidem in genere se pannos omnes minutatim per ulnas non divenditurus, sed preciosiores res excipiunt, in quibus maior spes lucri consistit, et plus emolumenti expectari potest.

XXIII.

Speciem quandam aequitatis hoc in se caput continet, dum Elbingensibus in onerandis et exonerandis navibus aliis praeferri videntur, sed si penitius inspiciatur videtur in precii constitutione plurimum situm esse, quod si in potestate Societatis futurum sit, facile illos arcere, et vel suos Anglos vel alios promovere poterunt.

XXIV.

Nostra nihil interest, quot hospites recipere cuilibet illorum integrum sit.

XXV.

Quod Angli Officiales iureiurando sibi obstringere, et stipendia etiam constituere volunt, hoc nisi cum insigni ipsorum commodo et subditorum detrimento coniunctum esset, non tam sollicitè agerent, Nec recenseri potest quanta et quam multa hanc rem subsequentur incommoda, si pondera et mensurae exterorum stabunt arbitrio.

XXVI.

Haec domestica sunt Anglorum compendia et nihil ad publicam negociationem faciunt.

XXVII.

Meritò custodia bonorum relictorum penes Magistratum esse deberet, ut in reliquis civitatibus, partim ne illa haeredibus pereant aut intervertantur, partim ne si fati defunctus haeredibus careat, fisco aliquod praeiudicium fiat.

XXVIII.

Videntur Angli restringere velle Elbingensium libertatem in concedendo iure civili, dum neminem recipi volunt, nisi qui a Collegio commendatus fuerit.

XXIX.

Si exteris liceret fundos in civitatibus possidere, facile colonia mutabitur, et ex Elbingensibus fient Angli, Multa etiam ex hoc articulo simulatè agi, et in praeiudicium caeterorum creditorum committi possunt.

XXX.

Ex magnitudine onerum ferendorum facilè perspici potest, qualis Respublica tempore necessitatis habitura sit subditos et cives.

XXXI.

Hic Angli singulari privilegio Elbingensibus concedere videntur, quae et longè maiora non solum ipsis sed omnibus civitatibus Prussiae a multis con-

temis annis licita permissaq3 fuerunt. Videntur q Angli, dum concessione hac religuos subditos Meatus regiae excludunt non Elbingensium, qui rarius vel nunquam eas in partes pervenirunt, sed suis rebus consulere, ut aliis exclusis ipsi rerum potiri, et soli commodo negociationis frui possint.

XXXII.

Magni et periculosi exempli res est, quod si collegati absolutam sibi potestatem usurpare volunt, quos volunt, rebelles et perfidos iudicando. Ac si quis fortassis etiam Gedanum venerit aut ibi domicilium habuerit, eundem hoc numero adscribunt, uti iam de facto fieri videmus.

XXXIII.

Quoniam capita suprascripta repugnat iuribus libertatibus et consuetudinibus terrarum Prussiae, frustra hic de interpretatione pactorum agitur quae nunquam coire possunt.

Et haec habent in hac temporis angustia Internuncii Gedanenses quae super his articulis ad voluntatem Reverendissimi et Magnificorum dominorum Commissariorum exhibenda putaverunt. Si quid aliud praeterea Senatui Gedanensi pro pleniori informatione necessarium videbitur, senioribus suis, cum quibus in specie super his articulis nunc consultare non possunt integrum conservant.